

poneretur vir latine doctus et in hoc genere laboris exercitatus. Itaque confido, exempla huius editionis emendatissima esse.

Sed accessit operi etiam noua particula, de consilio Viri illustris, Procancellarii in aula Principis Electoris Saxoniae; cui non obsequi, religio fuit. Is igitur volebat etiam quaedam doctrinae politicae initia adiungi, vt orbis iam Philosophiae absolueretur, et adolescentes, praesertim in Scholis maioribus, etiam huius partis summa capita ex hoc libro possent cognoscere. Ambigenti, vtrum iis, quae de societatis domesticae officiis et cura diuersis locis tradidissim, subiicerem de ciuili societate praecepta, an separatim ponerem, veluti propriam Philosophiae